

et future claritatis gloriam in suo corpore discipulis reuelauit.

De monte libano.

Libanus est mons phenicis altissimus. cuius sepe meminerunt prophete et scripture. Dicitur est autem libanus a thure vt dicit Isidorus. quod ibi colligitur cuius pars ad orientem respiciens libanus appellatur. vt dicit Isidorus. Libanus etiam id est candidatio vocatur. quia perpetuis niuibus semp hyeme scz et estate candidatur. Nullo eni tempore ita nix totaliter eliquescit quin in aliqua sui parte in eo valeat inueniri. Est autem libanus flumiozum et fontium principiu et origo. ex eius enim radice oriuntur duo fontes scz Jor et dan. qui simul iuncti iordanem efficiunt. Libanus igitur est mons redolentie et summe aromaticitatis. nam ibi herbe odorifere crescunt. ibi etiam arbores thurifere coalescunt. quarum gummi electum olibanum a medicis nuncupantur. Item mons est sufficientie et fecunditatis. Nam propter rois abundantiam et pluuiarum frequentiam herbis abundat. precipuis pascuis vberimis et fructibus optimis et maturis. Et ideo in monte libani nutriebantur animalia que offerrebantur in templo: et in ipsius pascuis fouebantur. Item mons erat eminentie et maxime sublimitatis. quonia omnes alios montes illius regionis altitudinis situ libanus excedebat. Et ideo venientibus tyrum per remota valde maris nauigia. se nauigantium oculis offerebat. et quos deberent nauigantes petere portus: sua altitudine ostendebat. Item mons erat indeficientis influentie et sempiternae humiditatis. nam quous siccitate preferat in sua superficie. nobilissimis tamen abundat intrinsecus venis aque. vt patet in puteis aquarum viuentium. que iuxta Salomonis sententiam in canticis solent continue cum impetu de libano emanare. vt dicitur Cantico. iij. quasi puteus aquarum et. Item mons confidentie et securitatis. nam in libano quiescentes tati sunt a venenosis serpentes quos sua aromaticitate et virtute fugant tam herbe quam arbores ibidem continue cōcrescentes. nam cedri ibi crescentes suo odore fugant omnia venenosa. et ibi venenosa reptilia viuere non permittunt. Item mons est pulchritudinis et amenitatis. Nam cedrorum et aliarum virentium arborum mira proceritas graminum. et herbarum continua viriditas. auium siluestrium sonora suauitas. riuulorum et fontium multiplicitas libanum amenum faciunt et iocundum. Item mons est medicine et sanitatis. ibi enim species aromatice crescunt. que sunt contra morbos innumerabiles remedia et medele. Ibi cypressi et oliue quorum liquores et resine sunt contra diuersarum infirmitatum incomoda. precipue medicine. Item mons leticie et iocunditatis. nam in collibus libani quondam creuit abundantia vini optimi. quod precipue leticie et hilaritatis maxime est inductiuum. Item mons honorificentie et dignitatis. nam inter omnes montes arabie phenicis et syrie. mons libani in sublimitate / in fecunditate / in amenitate / et aeris salubritate obstat et principatum. vt dicit Hieronymus et Iosephus.

De monte Semeron.

Semeron est mons de quo dicitur. ij. Paralippo. xliij. Mons in quo est modo sebastia. vbi reliquie Johannis baptiste requiescunt. In eodem quidem monte prius edificata est samaria a qua et tota regio postea samaria est vocata. Hec ciuitas ratione montis fuit fortissima. et ad expugnandum difficilima. vnde et reges assiriorum miris sumptibus et bellozum maximis apparatibus eam tribus annis continue obsederunt. Et vix propter angustiam contra ipsam preualere viribus potuerunt. immo vt dicit Hieronymus et Iosephus. nunquam eam expugnassent si ipsius habitatores deum israel ad iracundiam prouocantes plenam fiduciam in eo habuissent. et ipsius legem nullatenus reliquissent.